







VII
POLITIANI
SYLVAE
EC.
182
INCUNABULI
M
6
16
Biblioteca Nazionale
Centrale - Firenze
FLORENTIAE
1491









Angeli Politiani prelectio in Priora Ariſtotelis Analytica. Titulus Lamia.

f Abulari paulisper lubet? Sed ex re/ut Flaccus
ait. Nam fabellę etiam/quæ aniles putantur/
non rudimentū modo/ſed & inſtrumentū quādoq;
philoſophię ſunt. Audiſtis ne unquā Lamię nomē?
Mihi quidem etiam puerulo Auia narrabat/ eſſe ali
quas in ſolitudinibus Lamias: quę plorantes glutti
rent pueros. Maxima tūc mihi formido Lamia erat/
maximū terriculū. Vicinus quoq; adhuc Feſulano
ruſculo meo/Lucēs Fonticulus eſt: ita enim nomen
habet/ſecreta in umbra deliteſcēs: ubi ſedē eſſe nūc
quoq; Lamiarū/narrant mulierculæ quęcunq; aqua
tum uentitāt. Lamiā igitur hāc Plutarchus ille Che
roneus: neſcio doctior/ an grauior/ habere ait ocu
los exēptiles/ hoc eſt/quos ſibi eximat/ detrahatq;
cum libuit: rurſuſq; cū libuit/ reſumat/atq; affigat:
quemadmodum ſenes ocularia ſpecilla ſolent/ qui
bus hebeſcenti per ætatem uiſui opitulantur. Nā &
cum quid inſpectare auent/inſertāt quaſi forfici na
ſum. Et cum ſatis inſpectarunt/recondunt in theca.
Quidam uero etiam dentibus utuntur ęque exēpti
libus: quos nocte non aliter reponunt/q̄ togam: ſi
cuti uxorculæ quoq; ueſtræ comam ſuā illam depē
dulam & cincinnos. Sed.n. Lamia hæc/quoties do

a i





mo egreditur/oculos sibi suos affigit. Vagaturq; p fora/per plateas/per quadriuia/per angiportus/per delubra/per thermas/per ganeas/p cōciliabula oia: circūspectatq; singula/ scrutatur/indagat: nihil tam bene obtexeris/ut eam lateat. Miluinos esse credas oculos ei/ aut etiam emissicios/ sicuti Plautinæ ani culæ: nulla eos præterit q̄libet indiuidua minuties/ nulla eos euadit/quālibet remotissima latebra. Do mum uero ut reuenit/in ipso statim limine/demit il los sibi oculos/abicitq; in loculos: Ita semper domi cęca/ semper foris oculata. Quæras forsitan/domi quid agitet. Sessitat/lanam faciens/atq; interim can tilat. Vidistis ne obsecro unq̄ Lamias istas uiri Flo rentini: quæ se & sua nesciunt/ alios & aliena specu lantur. Negatis? Atqui tamē sunt in urbibus frequē tes: etiāq; in uestra: uerum personatæ incedunt: Ho mines credas/ Lamiæ sunt. Harū igitur aliquot præ tereuntem forte conspicatę me/substiterunt: & qua si noscitarent/inspexere curiosius/ueluti emptores solent: mox ita inter se detortis nutibus cōsusurra runt. Politianus est: Ipsissimus ē/ Nugator ille scili cet: qui sic repēte philosophus prodiit. Et cū dicto auolarūt/quasi uespæ dimisso aculeo. Sed quod re pente me dixerunt prodiisse philosophum/ nescio equidem/utrum ne illis hoc totum displiceat philo sophum esse: quod ego profecto nō sum: an quod

ego uideri uelim philosophus: cũ lõge absim tamẽ a philosopho. Videamus ergo primum/ quod nam hoc sit aĩal/ quod homines philosophũ uocãt: tum spero facile itellegetis/ nõ esse me philosophũ: neq; hoc dico tamen/ quo id uos credam credere/ sed ne quis fortasse aliquando credat: non quia me nominis istius pudeat/ si modo ei possim re ipsa satisfacere/ sed quod alienis titulis libenter abstineo: Ne si forte suas repetitum uenerit olim/ Grex auium plumas/ moueat cornicula risum. De hoc igitur primũ/ mox etiam de eo agemus: utrũ ne esse philosophũ turpe/ ac malũ sit: quod ubi docuerimus nõ esse/ tũ de nobis ipsis nõnihil/ deq; nostra hac professione loquemur. Audiui equidẽ Samiũ fuisse olim quẽdã iuuẽtutis magistrũ/ cãdidatum semper/ & capillatũ/ femore etiã aureo conspicuũ/ natum sepius/ ac renatum. Nomẽ illi erat/ Ipse. Sic discipuli certe uocabãt sui/ Sed eos discipulos/ ut ad se quẽq; receperat/ statim prorsus elinguabat. Præcepta uero si Ipsius audieritis/ risu scio diffluetis. Dicã tamẽ nihilo secius. Ignẽ aiebat: Gladio ne fodicato: Staterã ne transilito: Cerebrũ ne comedito: Cor etiã ne comedito: Supra sextariũ ne sedeto: Maluã transferto/ Sed eã ne comedito: Aduersus Solẽ ne loquitor: Viã regiã declinato: Per semitas ingreditor: Cũ lecto surges/ stragula cõplicato: Vestigiũq; corporis cõfũdito: Anu

= quem dicunt

lũ ne gestato: Ollę quoq; uestigiũ turbato ĩ cinere: Hirundines intra domũ/ne admittito: Cõtra solem ne meito: Speculũ ne spectato ad lucernã: Dextrum pedem priorem calciato: Sinistrum priorẽ lauato: Vnguium criniumq; tuorum pręsegmina/ ne com mingito/ sed in ea despuito. Hic idem faba quoq; sic semper abstinuit/ ut Iudęus Porco: Siquem autẽ aliquãdo Gallum gallinaceum/ candidula pluma/ & pinnis/ inuenisset/ eum uero protinus/ in Germa ni fratris diligebat loco. Ni cachínos metuam/ qui iã clãculũ puto ebulliũt/ habeo aliud quoq; quod narrem/ sed narrabo tamen/ uos ut lubet ridetote. Bestias docebat/ tam feras/ q̃ cicures: Et sane Vrsa daunia quędam fuisse memorar/ magnitudine hor ribili/ feritate formidabili/ Pestis acerba bouũ/ atq; hominum. Hãc ad se hic uir: si modo ipse erat uir/ blande uocauit/ manu permulsit/ Domi habuit alĩ quandiu/ Pane aluit/ & pomis/ mox dimisit/ adiu rans/ ne quod animal post id attígeret. Illa uero in montes suos/ & siluas abiit mitis: nec animantium deinde obfuit cuiquam. Vultis ne etiã de Boue au dire. Bouem Tarẽti/ in agro quodam pascuo forte cõspicatus/ uiridem adhuc fabaciam segetem/ mor su truncãtem/ rogauit Bubulcum/ moneret bouem suũ/ ne illam depasceretur: Huic Bubulcus illudẽs/ Atqui inquit/ bouatim loqui nescio/ tute si scis/ po

tius monero. Non cũctatus ipse/ accessit ꝓpius/ & in aurẽ boui illi diutule locutus/ ĩpetrauit/ non modo ut ĩpręsens! sed ut etiã ĩ ꝑpetuũ pabulo fabacio ab stineret. Itaq; Bos ille Tarenti deinde molliter con senuit/ in Iunonis fano sacer habitus: cibisq; homĩ nũ uesci solitus/ quos illi obuia turba offerebat. Hic igiť ipse/ tam portẽtosæ sapiẽtiæ ꝓfessor/ ac uẽdita tor/ interrogatus olim a Leonte Phliasiorũ tyrãno quid hominis esset: philosophũ se esse respõdit. Ite rum rogatus/ quid sibi illud uellet inauditũ antea nomẽ (Eteni sibi ipse tũc extẽpore cõfinxerat) Vitã ait hominũ perĩde esse/ ut mercatũ: qui maximo lu dorũ apparatu totius græciæ celebritate habeatur. Multos enĩ eo confluere mortalis: alios alia causa: Quosdã. n. ut mercimonia sua uenditẽt/ & friuola/ qui tentoriola etiam passim/ & umbracula/ quasi la queos/ & retia tendũt pecunioleę: Quosdam rursus ut sese ostentẽt/ ac suas exhibeãt dotes. Ibi ergo pa riter uisuntur/ et qui discũ procul expellit/ & qui põ dus robuste attollit: & qui spatii plurimũ transilit/ & qui lucta plurimos deicit/ & qui cursu lõgissime præuolat. Ibi & Funerepus piclitatur/ & Petaurista iactať/ & Saccularius pręstigiatur/ & Venenarius in flatur/ & Diuinaculus hallucinať/ & Aretalogus nu gatur/ & Circulator illudit/ & Gladiator eludit/ &

Orator blandē/ & Poeta mētitur. Postremo alios liberalius institutos/ coire ad ludos eos aiebat/ ut loca uiserēt/ ut ignotos homines/ artesq;/ & īgenia/ & nobilissimorum opera artificum contemplarentur: Ita igitur/ & in hāc uitam diuersis homines studiis conuenire/ quorum alios pecunię desiderio/ deliciarumq; teneri: Alios pricipatus/ & imperii cupidine sollicitari: Alios gloriolę stimulis agitari: Alios uoluptatum blanditiis titillari! Sed inter omnis pręcellere tamen eos/ & esse q̄ honestissimos: qui rerum pulcherrimarum speculatione contenti sint: Cęlūq; hoc spectēt/ solemq;/ & lunam/ & siderum choros: Solem/ qui sit ipse fons luminis: Lunam/ quæ inde lucem hauriat/ tam uaria/ tam incōstās: Sidera/ quorum uagentur alia/ hęreant alia in uestigio semper/ omniaq; nihilominus rapiantur: qui tamen ordo pulchritudinē habeat ex illius participatu: quod intellegibile primum sit: quodq; ipse numerorum/ rationumq; naturam interpretabatur: quæ per uniuersum decurrēs/ & cōmeans/ arcano quodam/ uel ornatu/ uel ordine/ cuncta deuinciret: Quotcunq; igit̄ pulchra/ diuina/ sinceraq; primo/ hoc est in fonte ipso sint/ eundemq; tenorem peragentia: horum esse sciētiam quandam/ quæ sophia nominatur: id nomen latine sapiētia est: Eiusq; sophiæ studiosū/

uocatum modo esse a se philosophum. Olim autē
apud sęculum priscum/sapientes appellari consuę
uerant/ etiam qui Sellularias quasdam callebant ar
tes. Vnde Vates Homerus fabrum quoq; lignariū/
sapientem uocat. Sed extitit Atheniensis quidam
senex/altis eminens humeris (ut aiunt) quem etiā
putant homines Apolline satum. Hic sapiētis esse
negauit eas artis/quę plerunq; uitę inseruiant/siue
illæ necessarię/ siue utiles/ siue elegantes/siue ludi
cræ/siue auxiliares sint. propriam autem philoso
phi esse supellectilem dixit/numerorum scientiam:
Quos inquit/a natura hominis, si remoueris: etiam
ratio perpetuo perierit. Numeros autē ille/non cor
poreos accipiebat. sed ortum ipsum/potestatemq;
paris/ & imparis/ quatenus rerum naturæ consen
tiant. Post hoc etiam Deorum atque animantium
geniturę/ quę Theogonia/Zoogoniaq; uocentur/
et item siderum cognitioni uacaturum dicebat:
Lunęq; circūitum/ quo menses includātur/quo ple
nilunia fiāt/ ac Solis anfractus īdagaturū/brumas/
& solstitia peragentes/ uicissitudinesq; dierum/&
noctiū: cōmutationesq; tēporū quadripartitas: Ad
hæc stellarū qnq; uagantiū errores/minime unq̄ er
rātes/earūq; cursus/ prægressiones/stationes/Tum
fixa certis locis astra/quæ mira quadā tamē celerita
te/cū cęlo ipso ī aduersum rotent̄/ & rapiant̄. Huic

accedere aiebat oportere eam/ quę ridiculo nomine Geometria uocet̃: In qua numerorũ similitudo cõ spicitur a Planis ad Solida ꝓgrediẽs/ ubi ratæ cernũ tur rationes/ ex quibus tota sonorũ scientia confla tur. Illã tamen ĩprimis necessariã esse artem/ qua ue rum a falso dinoscitur: qua mẽdaciũ refutatur: sicu ti e diuerso/ esse occupatissimã uanitatẽ/ quæ artifi cium hoc/ non sequit̃/ sed simulat/ uerũq; colorẽ fu co mẽtitur. Vt aũt ꝑuenire ad intellectũ naturæ eius tandẽ philosophus possit: quę semꝑ est/ quęq; sub corruptione generationeq; nõ fluitat: hãc ei quã di ximus terendã esse aiebat uiã: disciplinasq; has dif ficiles/ an faciles omnino ꝑdiscẽdas/ aut certe Deũ fortunãq; inuocandã/ Sed enim talẽ hunc philoso phũ/ nasci etiã affirmabat oportere/ idẽ senex/ e ma trimonio sacro/ hoc est ex optimis parẽtibus. Non enĩ ex omni ligno (sicuti dicitur) Mercurius fit. Vt aũt rami/ & surculi/ praui/ tortuosiq; natura/ minime unq̃ redigi ad rigorẽ suũ queũt/ q̃uis manu tracten tur/ & emolliantur/ Sed ad naturalem illam statim prauitatem recurrunt: Sic hi qui parum nati hone ste/ parum educati ingenue sunt/ continuo ad hu mum spectant: hoc est uilissima quędam ministeria adamant: nec in sublime animos attollũt: nec recti unquam/ nec liberi sũt. Si autem Elei Pisei ue/ apud quos Olympia celebrari solita/ neminẽ se nudare

ad certamen illud patiebantur/ nisi qui parentes/ & stirpē generis/ docere posset/ labe omni carere: Nec tamen ibi animorum/ sed corporum certamen agebatur/ nec pręmiū aliud petebāt/ q̄ corona ex oleastro: cur nō idem quoq; aiebat hic senex/ in uirtutis certamine obseruet? Porro hunc/ & ipsum/ ueritatis indagandæ studiosum esse/ & habere q̄ plurimos eiusdem studii socios/ adiutoresq; uelle: scilicet/ qui norit/ euenire idem ī philosophia/ quod in uenatu. Siquis.n. feram solus uestiget/ is eam/ uel nunquā/ uel ęgre deprehēdet. Qui uenatores aduocet alios/ facile ad ipsum cubile perueniet. Et ī hac igit̄ ueritatis quasi uenatione/ loca abrupta/ cōfragosaq; sunt plurima/ arboribus clausa circum: atq; horrentibus umbris: quæ lustrare solus nequeas: Sed quēadmodum Gentiliciæ quędam familiarū notæ ferunt̄/ ut Seleucidarū ancora/ Pelopidarū eboreus humerus: Aenobarborū rutila barba: Sic philosophi omnes habere hoc ī primis/ uelut insigne debēt: Vt sint mēdacii osores/ ueritatis amatores: q̄q̄ aliquod mēdacium quoq; philosopho cōgruit: Vt cum se ipse & sua extenuat: Quali Socrates ironia fertur eleganti usus/ aduersus inflatos sophistas/ ut qui ab homine refellerentur/ impitum agente/ facilius intellegerent/ q̄ omnino nihil ipsi scirēt. At uero siqui etiam sibi illa impudenter affingūt/ unde absunt longissi

me/molesti ubiq; sunt/ sed in his præcipue studiis.
Enimuero pecuniarum quoq; abesse amor debet/
Nec ultra quærendũ/ q̃ quatenus otium suppedite
tur philosophię. Nõ enim uir bonus mihi erit unq̃/
qui uelut oculos/ honesti/ ad auri splẽdorẽ summi
serit: quiq; depactione turpi/ fidem suam prodide
rit/ & integritatem. Nam sicuti aurum igni/ ita auro
etiam homĩes explorantur/ Sed nec arcana cuiusq;
curiosius/ & scrupulosius/ ut illæ: quas diximus la
miæ/ rimabitur: Nec scire uolet secreta domus/ atq;
inde timeri. Etenim sapientem iudicabit Aesopum:
qui unumquẽq; hominum/ duas gestare ait/ manti
cas: seu uocare peras malumus: anticã scilicet/ & po
sticam: hoc est/ alteram ĩ pectus: alteram in tergum
propendulam: Plenamq; utranq; uitiis/ sed anticã/
alienis: Posticam/ cuiusq; suis. Inde homĩes/ uideli
cet/ sua uitia nõ cernere/ aliena cernere: Atq; utinam
obuerterentur aliquãdo hæ manticæ: ut sua quisq;
intueri uitia posset/ aliena nõ posset. Talem nobis
igitur/ ueri ac legitimi Philosophi adumbrauit ima
ginem senex ille atheniensis: qui toto uertice/ ac to
to etiam pectore/ supra ceteros fuit: Eumq; semper
q̃diu uiueret/ mortem commentari aiebat: Solumq;
tamen in hac quoq; uita/ felicem esse & beatum. Ce
terum inueniri omnino tales/ q̃ paucissimos/ & pe
ne albis esse coruis rariores. Nũc si me talem/ uel di

cam/uel etiam opiner/esse/qualem modo philoso phum descripsi/stultior Coroebo sim: Nã & disci plinas illas/uix attigi/quæ philosopho competũt: Et ab his quos dixi moribus/ac uirtutibus absum longissime. Sed fingite esse me talem: Num ob id/ quæso culpandus? An uana/ an mala ars Philoso phia? Ita certe uisam scio nõnullis olim/ pręsertimq; potẽtioribus. Agrippina illa Augusta/ Neronem fi lium dicitur/ob id a philosophię studio reuocasse/ quod inutilis esset imperantibus: Domitianus ur be philosophos/atque Italia pepulit/nullum ob cri men/nisi quod philosophi erant. Athenięses Cicu ta Socratẽ/parentem prope ipsum philosophię sub stulerũt. Fortunatissima olim ciuitas Antiochia/ma ledictis insectata & cauillis est Romanũ principem Iulianum/nihil ob aliud/nisi quod erat philoso phus/ac barbã (qui mos erat ueterũ philosophan tium) nutriebat. Quid quod & libros omnis cõbu rere philosophorũ Tyrannus olim barbarus desti nauerat? Et fecisset: Nisi eum Algazeles pio quodã commento/sed parum tamen specioso reuocasset ab incepto. Verum de his non miror: Scelesti enim moribus/& facinorosi/luxuriaq;/& deliciis corrup ti/supercilium ferre non poterant philosophię. Ma gis illud miror/toties eam a doctis quoque/& alio qui bonis/fuisse exagitatam: Et quidem quod

indignemur secundo populo: hoc est/ magno suc
cessu/ magna exagitantium laude. Nam & Roma
nus Hortensius homo eloquentissimus/ atq; idem
nobilissimus/ cũ philosophiã uitupasset/ meruit ut
eius noĩe librũ Cicero ĩscriberet/ & illustriorẽ eũ tra
deret posteritati. Et Dion ille Prusieus/ q prior tu
lit/ oris aurei cognomẽtũ/ nulla ĩ orõne/ cũ qdẽ plu
rimas edi derit/ eloquẽtior habeẽ/ q̃ in ea quę cõtra
philosophos est. Et Aristophanes/ antiquæ auctor
comediæ/ nulla in fabula/ tantũ ueneris/ aut uirium
crediẽ exseruisse/ quãtũ ĩ illa/ cui titulũ fecit Nubes:
In qua lepidissime phũm Socratẽ descripsit/ saltum
pulicis metientẽ. Sed & Aristides/ ex ea orõne/ quã
aduersus Platonẽ pro q̃ttuor Atheniẽsiũ pceribus
scripsit/ multo illustrior mihi/ & celebrior/ uidetur
factus/ q̃ e cęteris oĩbus: quas composuit plurimas:
cũ tamen sit illa exps artificii: nec ulli rhetorices for
mæ/ satis cõgruat. Verumtamẽ/ arcana quadam pul
chritudine floret/ & gratia: noĩbusq; ipsis/ et uerbis/
mirum/ quantum delectat. Quid ille aũt/ Phliasius
Timon/ qui Sillos amarulẽtũ/ cõposuit opus/ Nõne
magnũ/ sibi & ipse nomẽ ex irrisu phõrũ cõpauit?
Ceterũ nõ cõtinuo malum uideri debet/ quod est a
quibusdã reprehẽsũ. Nã & dulcis sapor/ omniũ cre
diẽ pręstantissimus: qui tamẽ aliquibus etiãq; bene
ualẽtibus/ parũ gratus. Sermunculi isti hominum/

uidelicet/ac rumusculi/similes umbrę sunt. Vt autē crescēte umbra/uel decrescēte/corpus tamē ipsū/cuius illa est umbra/neq; crescit:neq; decrescit:ita nec melior fit quisq̄/dū uulgo laudat̄:nec item peior/dū uitupat̄. Quod si philosophandū nō est:secundum animi uirtutem/uiuendū non est. At sicut animo uiuimus:ita animi uirtute bene uiuimus. Quēadmodum sicuti oculis uidemus:ita oculorum uirtute bene uidemus. Qui bene uiuere igit̄ nō uult: is ne philosophet̄. Qui turpiter uiuere uult:is philosophiam ne sectetur. Veniunt ecce in mentem pythagorei Archytæ dicta quędam/prorsus aurea/de libro eius/qui de sapientia inscribitur/selecta: Quę nisi molestum est/latine ad uerbum referam. Sic inquit/Sapiētia in rebus omnibus humanis excellit. Vt ī sensibus uisus: In anima mēs: In sideribus Sol: Visus enim lōgissime tendit: plurimasq; rerum formas amplectitur: Et mens quasi regina/quodcunq; opus ē/ratione/ excogitatiōeq; pficit: ac uisus quidam/ uisq; ē rerum præclarissimarū. Et sol ipse/oculus est/atq; animus naturę totius: per quem scilicet omnia cernuntur/gignuntur/ nutriuntur/augētur/fouentur. Homo uero animantium omnium/lōge sapiētissimus: Vim quippe habet illam/ qua speculari omnia possit: ac scientiā/prudentiāq; ex omnibus elicere: ut ī quo Deus ille maximus/ rationem

quasi uniuersam impresserit/ac signauerit/ubi rerũ species oĩum/distinguerenť: significatiões q; nominum forēt/& uerborũ: sic ut loca/etiam certa uocũ/ sonis assignata sint. Hactenus Archytas. Mihi autẽ uideť & illud/qui philosophari nolit/etiam felix esse nolle. Nã si tunc felices sumus/cũ bona adsunt nobis plurima/sed adsunt ita/ut & ꝓsint: Nec prosunt autẽ/nisi utamur: Bene aũt ut utamur/scientia una facit: Scientiã aũt philosophia/uel affectat/uel possidet: ꝓfecto ut felices efficiamur/philosophandum est. An/quęso nostra curabimus/hoc est corpus/et opes: nosipsos hoc est animum post habebimus? Vt autẽ medicina corpus/ita animũ curat philosophia. Sed cum tres animi nostri/seu partes/seu uires/ratio/ira/cupiditas sint: Prior illa/diuina: posteriores/quasi brutæ: num quęso ipsam quidẽ cupiditatem/idest beluam multorum capitum: prætereaq; iram: ceu furentem Leonem/molliter educabimus? quasiq; corroborabimus? Rationem aũt/quę proprie homo est/fame cõfici/& esse imbecillam/ semimortuãq; patiemur? Vt scilicet/huc/atq; illuc/ a mõstris geminis/uelut ille in fabulis Hippolytus raptetur? & membratim quasi discerpať/ac dilanietur? Quod si uitam refugimus solitariã/ciuilẽ uero sequimur/& urbanã/nõne intellegimus/esse artes ĩ ciuitate/quę uitę cõmoda suppeditẽt? Esse alias itẽ/

quæ illarũ utant̃ opa? Rursus alias/quæ famulent̃: alias/quæ impitent? Inq; his utpote nobilioribus/etiã bonũ ipsum/præcipue reperiri? Sed quæ sola iudicium/teneat rectum: queq; ratione ipsa utat̃: atq; uniuersum bonũ cõtépletur/ea certe/uel uti/uel imperare omnibus suapte natura põt. Talis aũt pręter philosophiam/nulla oĩo est. Cur igit̃ pudeat philosophari? At/inquies/difficilis nimiũ philosophiæ cognitio est. Immo uero/si uestigiis indaget̃/nulla pene ars ingenua/cognitu facilior: Semper enĩ quæ priora sũt/notiora posterioribus: Et quorũ natura melior/eorum quoq; facilior ĩtellectus/q̃ quorũ deterior. Sit huius argumẽtũ facilitatis/et illud: quod ad maximũ incrementũ/breui puenit philosophia nulla etiã pposita mercede: Et quotus quisq; est ingeniosorũ/cui nõ otiũ sit ĩ uotis/ut philosophari liceat? Hoc autẽ pfecto nõ fieret/si philosophari labor/ac nõ potius uoluptas esset. Quid/quod exercere id studiũ semp/meditariq; possumus/ut quod nullis extrinsecus/indigeat instrumẽtis: ut cui nullus incõgruens sit locus? Vbi/ubi enĩ fueris: presto erit ueritas! Sed ut non difficillima/perceptu/ philosophia est: ita nec obuia cuiq; tamẽ/et exposita: Vigilantibus enim se/non dormientibus ingerit. Nos autẽ ita ridiculi sumus/ut uilissimæ æruginis gratia/etiã trans Herculis colũnas/etiam ad indos

nauigemus/ Philosophiam uero ut adipiscamur/ ne per hyemẽ quidem uigilias saltim pauculas tole ramus. Sed quod uoluptatem diximus esse ĩ philo sophia maximam: quo facilius intellegere possitis/ fingite aliquem uobis/ cunctis affluentem deliciis/ qui nihil omnino sapiat/ qui prudentia penitus ua cet. An quisq̃ uiuere huius uitã uolet? Equidem nõ puto: sicuti nec semper ebrius/ nec semper esse puer/ nec dormire semper/ ad morem Endymionis eligat quispiam. Quãq̃ enim aliqua etiam in somnis gau dia sunt: falsa illa tamen/ adumbrata/ imaginaria: non uera/ nõ solida/ non expressa sunt gaudia. Cur autem & mortẽ prope omnes expauescimus? Quo niam puto cuiq; terribile quod ignoratur/ ut quod obscurũ/ quod tenebricosum est. Sicuti cõtra amabi le quod ĩtellegitur: ut quod apertum/ quod illustre est. Inde etiã arbitror fit/ ut parentes nostros potissi mum ueneremur: quorũ uidelicet beneficio factum sit/ ut hunc solem/ & stellas/ atq; hãc publicã lucem intueamur: Quin rebus etiã delectamur potissimũ/ quas cõsuetas habemus: eosq; maxime diligimus: quibuscũ diutius uersati sumus: Ac uulgo amicos ipsos etiã notos appellamus. Si igitur quæ nota sũt delectant/ cur etiam nosse ipsum/ ac sapere non dele ctet? At id maxime proprium philosophiæ est. Aut igitur nihil agendum in hac uita/ nihil expetẽdum

eſt: aut ĩ ſola philoſophia/ tanq̃ in portu requieſcẽdum. Subiciamus/ queſo/ oculis hominum uitam: Quid ea eſt omnis/ præter inanem umbram? uel ut ſignificantius ait Pindarus: umbrę ſomniũ? Homo bulla eſt/ antiquum inquit prouerbiũ. Nam q̃tum uiribus ab Elephãto/ q̃tum celeritate uincimur a Lepuſculo? Gloria hæc autẽ faſtoſa/ quę nos plerunq; agit præcipites/ ut nihil aliud ẽ: q̃ meræ nugę? Vt nĩhil aliud q̃ nebula? Procul.n. ſi ſpectes/ magnũ qdda ee putes/ ubi ꝓpiques/ euaneſcit. Forma porro/ & dignitas corporis/ pulchra/ ob id nobis/ & honeſta/ quod hebeti ſumus obtutu. Nam ſi lyncei eſſemus/ ac penetrare oculis in corpora/ & introſpicere poſſemus/ etiã formoſiſſimum quenq; nauſeabũdĩ aſpiceremus: adeo nobis multa uiſu tetra/ & foeda/ prorſuſq; deformia occurrerent. Quid obſcenas cõmemorem uoluptates/ quibus pęnitentia ſemper comes? Age uero quid in rebus noſtris omnibus/ uel ſolidum/ uel diuturnum? Nam ut ſtare aliquid/ aut durare/ nõnũq̃ putemus/ imbecillitas noſtra facit/ atq; æui breuitas: ita quod ueteres opinati quidam ſunt: Animas noſtras in Corpora/ tanq̃ in Carcerem coniectas/ magnorum ſcelerum pęnas luere: quãq̃ nõ omnino uerum/ tamẽ etiam nec abſurdũ plane uideri poteſt. Nam cũ ſit anima iũcta/ agglutinataq; corpori/ ac per omnis artus/ omniſq; ſenſuũ

quasi meatus extenta/ & explicata/ nõ alio mihi ui
detur supplicio affecta/ q̃ quo Mezẽtius ille Vergi
lianus/ miseros ciues suos afficiebat. Ita. n. de eo ca
nit Poeta noster.

Mortua quin etiam iungebat corpora uiuis/
Componens manibusq; manus/ atq; oribus ora
Tormenti genus/ & sanie taboq; fluenti/
Complexu in misero/ longa sic morte necabat.

Nihil igiẽ in rebus humanis/ studio/ curaq; dignũ/
prçter illam/ quam pulchre uocat Horatius diuinç
particulam aurç: quç facit ut in hoc cçco rerum tur
bine/ tamẽ uita hominum/ tuto guberneẽ. Deus. n.
est animus nobis: Deus ꝑfecto: Siue hoc Euripides
primus dicere ausus/ siue Hermotimus/ siue Ana
xagoras. At nulla/ inquis/ proposita est merces phi
losophantibus: Ego uero ne desidero quidem mer
cedẽ/ quoties ipsũ quod agiẽ/ sibi est merces. Ergo
si comoedia ĩ Theatro ageẽ/ aut Tragoedia/ Si Gla
diatores ĩ foro cõmitteñẽ/ oĩs eo statim populus cõ
fluemus spectatũ/ nulla illecti mercede: Naturam ue
ro ipsã rerũ pulcherrimã/ spectare gratis nõ poteri
mus? At nihil agit philosophia: tãtũ contẽplationi
uacat. Esto: Modũ tamen cuiusq; prçscribit officio:
Sic ãt & uisus ĩ corpore: q̃q̃ ipse opus nullũ ꝑagit:
dũ tamẽ aut ĩdicat unũquodq;/ aut iudicat/ ita opĩ
fices adiuuat/ ut nõ plus manibus/ debere illi se/ q̃

oculis suis sẽtiãt. At ẽ phũs homo rudis/ & secors/ Et q ne uiã quidẽ sciat ipsã: qua itur i forũ: Nesciat ubi aut senatus habeatur: aut populus coeat: aut li tes dirimãt. Leges/ decreta/ edicta ciuitatis ignoret/ Studia Cãdidatorũ/ Cõciliabula/ Conuiuia/ Comes sationes/ ne sõniet qdẽ: Quid alicubi agat: Quid cui bene cesserit: aut male: Cui sint uxoriæ/ Cui pa ternę maculę: cui suę: magis ꝓfecto ignoret: q̃ q̃tus numerus Libyssę harenæ Lasarpiciferis iacet Cyre nis. Adde quod nec uicinũ qdẽ suũ cognoscit. Nec scit utrũ sit albus/ an ater: utrũ sit homo/ an belua. Sed nec illa ipsa cernit interdum/ quę sunt ante pe des: Itaqꝫ irrisus ab Ancilla Thressa Milesius Tha les dicitur/ quod nocturnis intentus sideribus/ in puteum deciderat: Stulte eni (inquit illa) o Thales celum uidere studes: qui nõ uideris/ quod erat an te pedes: Ergo si hominẽ hunc adducas in curiam/ aut ad pretorẽ/ aut irẽ in cõtionem/ iubeasqꝫ de iis dicere: quæ tractentur: quæqꝫ ante oculos/ interqꝫ manus sint: hesitet/ titubet/ stupeat/ caliget: Quasi uolucris sit iplicita uisco/ quasi ad Solẽ uesptilio: risũqꝫ de se prębeat/ non uni Thressę Ancillulę/ Sed lasciuis ipsis pueris abacũ cõscribellãtibus: ita ut ab eis/ uix barbã quoqꝫ illã suã defẽdat baculo. Quod siquis eundẽ cõuicio feriat/ Tacet: Mutus est: nihil habet omnino quod respõdeat. Et.n. aliorũ nescit

errata: nec ĩ cuiusq̄ uitia inquisiuit. Tū siqs laudat sese, premodum, atq; effert, auscultāte ipso: Siquis Regem, Tyrannum ue aliquem, beatum prædicat. Siquis latifūdia mille iugerum possidere se iactat: Siquis generis claritudinem repetit a Tritauo: Desipere hos oīs putat: & effusius ridet: Nescio utrum quia nimis insolēs, an quia delirus. Talis profecto est, inquies pręclarus iste tuus phūs: non minus credo a te, sine causa, q̄ sine fine laudatus. Quid ad hæc dicā? Quid respondebo? Equidē cuncta esse fateor ueriora ueris. Nescit forū phūs, Nescit lites, Nescit curiam, Nescit hoīum cōuenticula, Nescit flagitia: Partim aliena putat hæc a se, Partim minuta nimis, & pusilla: Quocirca despicit, ac turbę hominū sordidæ relinquit: Vt quibus idoneus esse possit, etiā quilibet e populo. Themistocles ille dux magnus, cum cęsas a se ĩ litore barbarorū copias inspectaret, monilia forte quædā, & armillas, aureas iacētes cōspicatus, præteriens ipse, Comiti cuidam suo monstrauit: Et Tolle, inquit, illa tibi: Non enī tu es Themistocles: Ita ergo & istis abstinet phūs, Vt uilibus, Vt parū se dignis. Adeoq; ĩterdū nescit ea, ut etiam nescire se nesciat. Peregrinatur. n. semp illius aīus, & multa leuatus aura, quasi ille Dircęus Horatii Cycnus, Tendit in altos, nubium tractus: ac cęli terręq; mensor, & naturæ conscius, dum totū, lōge,

& late circũspicit orbẽ, Effugiũt curas iferiora suas.
An uero ille, aliud Regẽ putabit, q̃ subulcum? aut opilionẽ? aut busequam? Sed eo peiore cõditione: quo peioribus impat. Peiores.n.bestiis, etiãq; ima nibus, iperiti sũt homines. Itaq; nihil ille aliud moe nia ciuitatiũ, q̃ septa aliqua putabit, & caueas: qui bus efferi illi greges includant̃. An ei magna esse ui debunt̃, agri mille iugera: cui terra ipsa pũcti instar uidetur? An is nõ eum deridebit: qui se generosissi mũ putet quod auos quinq; forte, aut sex, nobiles numeret, & diuites? Cũ sciat i Stẽmate, cuiusuis, & serie generis, ppe innumeros inueniri, & seruos, & barbaros, & mẽdicos: Nec esse regẽ quenq̃, qui nõ sit e seruis natus: nec item seruũ, cui non origo sint reges. Omnia.n.ista quę distãt, lõga ætas miscuit. Sed imaginẽ uolo uobis elegãtissimã referre, Iãbli chi illius Platonici: quem ueteris græcię cõsensus, uocare diuinissimũ solet. Finge, inqt, tibi, spatiosã quãpiam speluncã, recedentẽ q̃maxime introrsus: Cuius excelsæ ad lumen pateãt fauces: In eius autẽ speluncæ penetralibus, fac esse homines: qui ab ip sa usq; infantia, illic sederint, habiti semper in uin culis: atque his ita astricti, ut neq; ad fauces illas cõ uertere se, neq; commouere quoq̃. Sed nec intueri quicq̃ ualeant, nisi quod e regione sit. A tergo aũt supraq; eos, pcul, maximus quispiam luceat ignis: Interq; ignem ipsum, & quos diximus uinctos, uia



sit/quasi sublimis/ & alte pensilis/ iuxtaq; uiam/pa ries: Tum per eam uiã gradiantur plurimi/uasa/in strumẽtaq; alia manibus gestãtes: & animantiũ effi gies/ uel lapideas/ uel ligneas/ uel materia quauis alia: quæ tamẽ gestamina omnia/dum trãsferunt/ extent supra eum/quẽ diximus parietem: Qui aũt hoĩes illa baiulẽt/alii quidẽ taceãt/ut fit/alii inter se colloquãt: Deniq; sit Scęna ista oĩs/quasi cũ præ stigiatores ĩteriecto uelo/supra id uelum minutas quasdã nobis ostẽtãt imagũculas: quasiq; pupas/ri dicule loquaces/ac gesticulatrices/rixãtes ĩter se/cõ cursantesq; p ludicrũ. Quid ãt sibi/ĩquies/uult ima go hęc tã exqsita/tãq; absona? Dicã. Credamus nũc eos hoĩes/quos dixi/ĩmobiles/& astrictos uĩculis/ esse haud absimiles nobis. Quid igit hic uidebũt? Se quidem certe ipsos nõ uidebũt? Sed nec inter se uincti uĩctos/nec itẽ gestamina illa: Nã & sunt ipsi in tenebris: & respectare nequeũt. Puto ãt uidebũt umbras eas tantũ: quas ille ignis/ quẽ diximus/in aduersam spelũcæ frontẽ iaculetur. Quod si collo qui etiã illos inter se contingeret/credo umbras ip sas/ueras plane esse res/dicerẽt. Ceterũ si uocis etiã imago illa ludibunda/quæ grece Echo dicit/collo quẽtibus iis/qui prætereãt/in ipsa illa antri frõte re sonet ac resultet? An cẽses alium loqui putaturos/ q̃ ipsã illã umbrã/quæ trãseat? Equidẽ nõ arbitror. Immo uero opinor/nihil oĩo esse uerum suspicatu

ros/prȩter ũbras! Sed agedũ/Soluamus nũc eos/& eximamus uĩculis: atq; a tãta (si possumus) insipiẽtia uindicemus. Quid eueniet? Credo ubi cuiq̃ ipsorũ manicas/atq; arta uincla leuari iusseris! ubi surgere ocius/ac respicere/ & ĩgredi/ & spectare lucem coegeris! angeẽ primo/& radiis oculos prȩstrigeẽ: nec aspicere illa poterit: quorũ imagines hactenus aspexerat. Quod si quis hũc hoĩem sic alloquaẽ: Heus tu: Nugas antehac uidisti: Res ipsas nunc uĩdes: Prȩterea si res ei ostẽdens ipsas/interroget: q̃d unaqueq; illarũ sit! Nõne hũc tu putas hȩsitabũdũ diu/& ãcipitẽ/ueriora fuisse illa tamẽ ꝑtinaciter crediturũ: quȩ prius cernebat/q̃ quȩ nũc ostẽdantur? Quid si q̃s eũdẽ cogat egredi aliquãdo ad purã lucẽ: nõ ne oculos ei credimus dolituros? Nõ ne auersaturũ radios? Cõiecturũq; se ĩ pedes/q̃tũ queat: ut ad simulachra illa sua reuertaẽ q̃primũ? Quis dubitet? Age/si q̃s ꝑ ardua illũ/& accliuia ui ꝓtrahat ad lumẽ! nõ ne ĩdignabiẽ hõ/& reluctabiẽ? Moxq; sub auras plane euectus/torquebit aciem ꝓrsus/ut ille Herculis Cerberus? nec ferre diẽ/nec illa ĩtueri/quæ dicanẽ bona poterit/nisi paulatĩ q̃dẽ assueuerit? Ergo umbras primũ cernet: Dein Solis ĩ aqua simulachrũ: Tũ corpora ipsa fulgoris ĩmunia: Post hȩc ãt ẽt in cȩlũ tollet oculos: Ac noctu primũ suspiciet lunã/et Stellas: Mox ẽt interdiu ad ipsũ solẽ dirigere/ audebit obtutũ: Cogitabitq; secũ/scilicet/hũc esse/

q tẽpora distĩguat: qq; anni uices pagat. Hũc eorũ quoq; eẽ auctorẽ/ quæ ipse antea/ ĩ antro illo retro/ spectare erat solitus. Cedo qd hic uolutabit aio/ qd faciet/ quoties carcerẽ cæcũ/ quoties uícula/ quoties uere umbratilẽ sapiẽtiã recordabit̃? Eqdẽ puto gra tias dis aget/ Magnas/ Ingẽtes/ quod ide se emerse rit tãdẽ: Dolebitq; uicẽ sociorum/ quos in tãtis reli querit malis. Quod si etiam ĩ spelũca laudari/ præ misq; affici/ & honoribus/ cõsueuissent/ qcũq; simu lachra illa acutius uiderent: aut q facilius meminis sent/ quę priora ex his/ quę posteriora/ quę ue simul excucurrissent: aut itẽ q quasi addiuinarẽt/ quę ꝓxi me subitura his forent/ an euenturũ putamus unq̃/ ut honores illos/ ut laudes/ ut pręmia/ noster iste cõ cupisceret/ aut his deniq; inuideret/ qui consecuti il la fuissent? Nõ puto: Quin potius credo/ Vltra Sau romatas fugere ei liberet/ & glacialem oceanum/ q̃ uel regnare ĩter istos. Verũ redeat iam hic idẽ/ quasi postliminio/ ad illam ipsam sedem/ inamenã/ & cæ cam: Nõne ipse iam cecutiet/ a sole profectus ĩ tene bras? Nõne si certamẽ/ forte ibi ponat̃/ qs oĩum acu tissime umbras easdẽ cernat/ supabit̃ hic noster: & erit oibus deridiculo? Sic ut uno ore/ uincti illi cla mẽt/ Cęcũ reuertisse ĩ spelũcã sociũ: Periculosumq; esse ĩter foras. Tũ siqui soluere iterũ aliquẽ ex ipsis tẽtẽt/ atq; ad lucẽ ꝑducere/ resistat ille scilicet qsqs fuerit manibus/ ac pedibus/ & trahẽtium sese/ etiã si

possit/in oculos inuolet unguibus. Interpretarer sa ne imaginis huius sensum/ nisi apud uos loquerer Florentini/magno hoies ingenio: magna sollertia: Nūc illud tantū admonebo/ Vinctos in tenebris homines/nullos esse alios/q̄ uulgus/& ineruditos: Liberū aūt illū/clara i luce/& exēptū uinculis/hūc esse ipsū phūm/de quo iamdiu loquimur. Atq; utinā is ego essē. Non.n.tā metuo inuidiā/crimēq;/nois huius/ut esse phūs nolim/si liceat. Sed audire iterū uideor/Lamias illas/ita mihi ad hęc tā multa/tāq; alte repetita/breuiter/& aculeate respōdētes. Frustra Politiane laboras/ut auditoribus his probes/ac declares/phūm te nō esse: Nihil ē/quod metuas. Nemo tā stultus/ut hoc de te credat. Nec āt ipsę/cū te repēte prodiisse phūm dicebamus: (quod te/ut uidemus/ uerbum nimis urit) hoc uidelicet sentiebamus: esse te phūm: Nec ita impitæ/aut præposteræ sumus: ut phiam tibi obiectaremus ꝓ crimie. Sed illud idignabamur: Facere te: ne grauiore utamur uerbo: subarroganter: q triēnio iā/phūm te ꝓfitearis/ac nunquā scilicet ante id tpūs/opam philosophię dederis. Ob id enī nugatorē quoq; te diximus/quod illa diu iā doceas/quę nescias: quę nō didiceris. Audio eq̄dē nūc uero/& itellego/qd dicatis/qd sentiatis/bonæ Lamię/ Sed uicissi uos quoq; audite me parūp/si uacat. Ego me Aristotelis ꝓfiteor iterpretē: Quā idoneum nō attinet dicere/ sed certe iterpretē ꝓfiteor:

phũm / nõ ꝓfiteor. Nec enĩ si Regis quoq; eẽm inter pres / Regẽ me eẽ ob id putarẽ: Nec apud nos Donatus puta / & Seruius: apđ Gręcos Aristarcus / & Zenodotus / cõtinuo se poetas ꝓfitẽt: quoniã qdẽ poetas ĩterpretenẽ. An nõ Philoponus ille / Ammonii discipulus / Simpliciiq; condiscipulus / idoneus Aristotelis ẽ interpres? At eũ nemo phũm uocat: Oẽs Grãmaticũ. Quid / nõ Grãmaticus ẽt Cous ille Xenocritus: & Rhodii duo / Aristocles / atq; Aristeas: Et Alexandrini itẽ duo / Antigonus / ac Didymus / Et oĩum celeberrimus idẽ ille Aristarchus? Qui tamẽ oẽs (ut Erotianus ẽ auctor) Hippocratis ĩterpretati sũt libros / sicuti / alii quoq; / quos Galenus enumerat: nec eos tamẽ quisq̃ / Medicos eẽ / ob id putat. Grãmaticorũ enim sũt hæ partes / ut omne scriptorũ Genus / Poetas: Historicos: Oratores: Phõs: Medicos: Iureconsultos excutiãt / atq; enarrẽt: Nostra ętas parũ perita rerũ ueterũ / nimis breui Gyro grãmaticũ sepsit: At apud antiquos olim tãtũ auctoritatis hic ordo habuit / ut Cẽsores eẽnt / & Iudices / Scriptorũ oĩum soli Grãmatici: Quos ob id etiã Criticos uocabãt: Sic ut nõ uersus modo (ita enĩ Quĩtilianus ait) Censoria quadã uirgula notare / sed libros etiã / q falso uiderẽt inscripti / tãq̃ subditicios submouere familia ꝑmiserint sibi. Quin auctores ẽt quos uellẽt / aut ĩ ordinẽ redigerẽt / aut oĩo eximerẽt numero. Nec.n. aliud / Grãmaticus gręce: q̃ latine litteratus. Nos ãt

nomē hoc in ludū triuialē detrusimus/tanq̄ ī pistri
nū: Itaq; iure cōqueri nūc litterati possent/& aio an
gi/quo noie Antigenides ille tibicen angebat̄. Fere
bat Antigenides parū æquo aio/quod monumēta
rii Ceraulæ/Tibicines dicerētur: Indignari litterati
possūt/quod Grāmatici nūc appellēt̄/etiā/q prima
doceāt elemēta. Ceterū apud grecos hoc genus/nō
Grāmatici/sed Grammatistæ: Nō litterati apud lati
nos/sed litteratores uocabāt̄. Verū alias de Grāma
ticis. Nunc ad me redeo: Nō scilicet philosophi no
mē/occupo ut caducum: nō arrogo ut alienū/ppea
quod phōs enarro. Rogo uos: adeō esse me isolētē
putatis/aut stolidū: ut siqs Iuriscōsultū me salutet/
aut Medicū: Nō me ab eo derideri ꝓrsus credā? Cō
mētarios tamē iādiu (quod sine arrogātia dictū ui
deri uelim) simul ī ius ipsū Ciuile: simul ī Medicinę
auctores parturio/& q dē multis uigiliis. Nec aliud
inde mihi nomē postulo/q̄ grāmatici. Hāc mihi ro
go appellationē/nemo inuideat: quam semidocti
quoq; aspnant̄/ceu uilē nimis/& sordidā. Euge in
quiunt/Lamię: Cōcedimus/ut uocere Grāmaticus:
nō tamen ut & phūs. Quomō.n.tu phūs: q nec ma
gistros habueris: nec id genus unq̄ libros attigeris?
Nisi si fūgino eē genere phōs credis/ut una eos plu
uia statim ꝑcreet. Aut Terrigenis illis similes/quos
poetæ de Glebis ꝓrinus & sulcis/cū Clypeo produ
cūt/& Galea. Nū forte illud dices/te tibi ipsū fuisse

magistrum: sicuti de se aiebat Epicurus? aut noctu inspiratã tibi diuinitus philosophiam, sicuti Aeso po fertur? Vrgent me nimis hę lamiæ: itaq; nõ iam cum illis agam! Sed uobiscum: quos mihi fore ar bitror æquioris. Nec autem allegabo nũc uobis fa miliaritates: quæ mihi semper cum doctissimis fue re philosophis: Nõ etiam extructa mihi ad tectum usq; loculamenta ueterum cõmentariorum, præser timq; gręcorũ: qui omnium mihi doctores præstã tissimi uideri solent! Sed ita uobiscum paciscar. Si nullus in nostris, aut scriptis, aut sermonibus odor ẽ philosophię! nemo audisse me philosophos, aut eorum attigisse libros arbitretur. Sin plurima sunt in eis: quę sectam redoleant aliquã! Tunc me, si nõ peperisse ipsũ talia! saltem didicisse credite a docto ribus. Quod si uituperãtur hi: qui multa spõdeãt, anteq̃ præstent! Cur ego uicissim non lauder: qui prius hoc pręstiterim, quãtulũcunq; est, q̃ omnino unquã spoponderim? Oues, inquit, Stoicus Epicte tus, in pascua dimissę, minime apud pastorẽ suum gloriantur uespere, multo se pastas gramine! Sed lac ei affatim, uellusq; prębent: Ita nec quisquã prę dicare ipse debet, quantum didicerit! Sed quod di dicerit, afferre ĩ medium. Quod ego proculdubio, & fecisse hactenus, & facturus deinceps uideor ap probantibus Musis: quarum sacra fero ingenti per cussus amore. Quare quoniã libros Aristotelis de

C i^r

moribus iampridem: ꝓxime autē Porphyrii quinq;
uoces: & Aristotelis eiusdem prædicamenta: cū sex
illis / Gilberti Poretani principiis / Libellumq; qui di
citur Perihermenias: Tum uelut extra ordinem So
phisticos Elenchos / intactum ab aliis opus / & pene
inenodabile / sum publice interpretatus: Vocāt ecce
me nunc eundem ad se / resolutoria duo uolumina:
quę Priora uocantur: In quibus omnis recte ratioci
nandi regula continetur. Qui q̄q̄ libri spinosiores
alicubi sunt: Et multis rerum / uerborūq; difficultati
bus iuoluti / tamē ob id eos etiam libētius / alacrius /
animosius aggredior / quod fere ī omibus Gymna
siis a nostrę ætatis philosophis / nō quia parum uti
les: sed quia nimis scrupulosi / prætereuntur. Quis
mihi igit̄ iure succenseat / si laborem hunc interpre
tandi difficillima queq; sumpsero: Nomē uero aliis
philosophi reliquero? Me. n. uel grammaticum / uo
catote / uel si hoc magis placet / Philosophastrū: Vel
ne hoc ipsum quidē. Ceterū uolo ut hic iam noster
sermo simplex ut uidetis / & humi repens / quemad
modum a fabella coepit: ita desinat in fabellam. Si
quidem / ut Aristoteles ait etiam philosophus natu
ra Philomythos / idest / fabulę studiosus est. Fabula
enim admiratione cōstat: Admiratio philosophos
peperit: Sed audite iam fabellam. Aues olim prope
uniuersę / noctuā adierūt: rogarūtq; eā / ne posthac /

in ædium cauis nidificaret: sed in arborum potius ramis / atque inter frõdes: ibi enim uernari suauius. Quin eidem / quercum modo enatam / pusillã / tenellamq; adhuc ostendebant: in qua scilicet molliter / ut aiebant / & sidere ipsa aliquãdo noctua / & suum sibi construere nidum posset. At illa facturam se negauit: Quin inuicem cõsilium dedit iis / ne arbusculæ illi se crederent: Laturam enim quandoq; esse uiscum / pestem uidelicet auium. Contempsere illę (ut sunt leue genus / & uolaticum) sapientis unius noctuæ consiliũ. Iam quercus adoleuerat. Iam patula: Iam frondosa erat. Ecce tibi aues illæ omnes gregatim ramis inuolitant / lasciuiunt / subsultant / colludunt / cantilãt: Interea quercus ea uiscũ protulerat / atque id homines animaduerterant: Implicitę ergo repente ibi omẽs pariter / misellæ: ac frustra eas sera penitentia subiit / quod salubre illud cõsilium spreuissent: Atque hoc esse aiunt: cur nunc aues omẽs / ubi ubi noctuã uiderint / frequẽtes eã quasi salutãt: deducunt: sectantur: circũsidunt: circũuolitant: Et enim consilii illius memores: Admirantur eam nũc ut sapientem: Stipantq; / densa caterua: ut uidelicet ab ea sapere aliquando discant. Sed opinor frustra / immo uero etiam interdum cũ magno ipsarum malo. Nam ueteres illæ noctuæ reuera sapientes erant: nunc multæ noctuę sunt / quæ noctuarum quidem

plumas habent/ & oculos/ & rostrum / sapientiam uero non habent. DIXI

Impressit Florētiæ Antonius Miscominus Decimo octauo kal. decembris. M.CCCC.LXXXXII.

